

resplendit ejus facies sicut sol, designans visionem beatificam, qua beati solo Dei aspectu ita recreabuntur et satiabuntur, ut hoc uno beati sint futuri et habituri omnia, quaecumque desiderare possunt. Secundo, vestimenta ejus nitidissima plusquam nivei candoris erant, quibus animæ et corporis dotes in beatis denotantur. Tertio, innotuit vox Patris: *Hic est Filius meus dilectus, etc.* representans in beatis delectamenta sensuum, aurium, oculorum, gustus, etc. Quarto, aderant ei Moyses et Elias *visi in majestate*; ita erit in cælo societas beatorum ingens, varia, dulcissima, splendidissima, jucundissima. Quinto, aderat nubes lucida et obumbrans; representans cælum empyreum, lucidissimum, serenissimum, ornatissimum. Itaque electi, in die resurrectionis maxime transfigurabuntur una cum Christo, dum e tenebris ad conspectum lucis æternæ, Dei scilicet, transibunt: pro squalore miseri et mortalis corporis glorificatum, hoc est, splendidum, subtile, agile, immortale accipient; pro doloribus et ærumnis omnium oblectamenta sensuum percipient; de reprobis et persecutorum societate ad amabilissimum beatorum consortium gradum facient; denique, e mundi hujus exilio et lacrymarum valle ad amœnissima cælorum habitacula migrabunt; quæ omnia alibi fusius explicavimus. Nunc sufficet nobis audire, qua ratione beatam illam regionem descriperit matri S. Astionis martyris et monachi adhuc gentili Vigilantius (in vita Epicteti presbyteri et Astionis.) « Cum enim diceret mater: Quæ dicitur regio illa, quo porrexit dulcissimus meus et unicus Astion? Vigilantius respondit: Regio robustorum, serfortium virorum. Et mater: Sunt aliqui homines ibidem commorantes? Vigilantius respondit: Plures et valde nobiles habentur, quorum possessio paradisi dicitur, quorum tabernacula ex lumine sunt constructa, quorum vita Deus est, et conversatio immortalis existit, quorum vestes sanguine sunt respersæ, et in capite coronæ ex auro purissimo cum gemmis variis fabricatæ habentur: sed et rex nimium potentissimus ac metuendus est in eadem regione, cujus nomen Deus deorum, et Dominus dominantium appellatur, cujus nuntii angeli dicuntur justitiæ, quorum vestis una est omnibus, et tactus eorum igni assimilatur urenti. Sed et senatus hujus imperatoris valde clarus habetur: et media pars prophetæ nuncupatur, alii vero apostoli pronuntiantur. » Deinde, ipsam civitatem ita describit: « Sed et civitas istius regis valde est præclara, nomenque ejus christicolis pronuntiat, cujus murus ex auro purissimo est

constructus, habens portas duodecim, et in ipsis singulæ dependent margaritæ, atque singuli ex senatoribus per singulas sedent indelenter. Et prima quidem porta dicitur Petri, secunda Pauli, tertia Andreae, quarta Joannis, quinta Jacobi, sexta Philippi, septima Bartholomæi, octava Thomæ, nona Matthæi, decima Thaddæi, undecima Simonis, duodecima Matthiæ. » Denique ejus templum et sancta sanctorum ita depingit: « Sed et templum mirificum est in ea, habens sancta sanctorum et altare aureum; ante cujus conspectum vir quidam adstat mirificus tenens decem chordarum psalterium, ac jugiter ibi degentes ad laudem regis illius cohortatur dicens: Laudate Dominum de cælis, laudate eum omnis angeli ejus; laudate eum omnes virtutes ejus. Hujus itaque nomen David filius Jesse pronuntiat. Sed et plateæ hujus civitatis ex auro purissimo sunt strætæ, cujus fluvium vitam æternam emanat, cujus promifera per singulos menses reddunt fructus suos, et folia eorum ad medicamentum procedunt animarum, cujus lumen inenarrabile est, et portæ nunquam clauduntur, eo quod nunquam ibi nox erit nec ullæ tenebræ habentur: sed semper gaudium et perpetua lætitia ibidem jugiter commoratur. » Ad hanc transfigurationem perducere nos dignetur qui hodie transfiguratus est Christus Jesus. Amen.

## CONCIO VII.

FONTES QUINQUE, UNDE PROMANANT GAUDIA  
BEATORUM.

1. Locus, cælum empyreum. — II. Societas beatorum.
- III. Oblectamenta sensuum, oculorum et aurium.
- IV. Corporum dotes: 1. Claritas. 2. Agilitas. 3. Subtilitas. 4. Impassibilitas. — V. Beatifica Dei visio.

## THEMA.

*Duxit eos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Matth. XVII.*

Promiserat Deus in lege veteri Judæis terram lacte et melle manantem, si de Ægypto exire et per deserti asperitatem ad illam peregrinari vellent. Cæterum quia populum in deserto valde impatientem ob moram in deserto, imo et incredulum vidit, idcirco ut eum animaret ad ceptum iter prosequendum, jussit mitti ex eo viros qui explorarent terram promissam, opes et ubertatem illius; qui explorata terra post quadraginta dies, attulerunt secum botrum

unum, quem portarunt in vecte duo viri: necnon de malgranatis et ficibus. Idipsum egit nobiscum Deus, qui promisit nobis cælum si per patientiam et pœnitentiam eo contendamus, sed ne diffideremus de facta nobis cæli promissione, assumpsit secum in montem tres primarios suos discipulos, (ut in ore trium staret omne verbum) nomine omnium, et ostendit eis, obiter licet et rudibus delineamentis, gloriam suam cælestiumque bonorum affluentiam: ex quibus tamen delineamentis ad perfectam gloriæ cælestis cognitionem facile ascendere poterant. Unde S. Petrus de hac visione testis oculatus et præsens, ait: *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam: sed spectatores facti illius magnitudinis, etc.* c. II. Petr. I. Similiter S. Joannes item unus ex speculatoribus illis: *Et vidimus, inquit, gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Ex illorum ore acceperunt et tradiderunt nobis evangelistæ reliqui, Matthæus, Marcus, Lucas. Attulere autem nobis botrum illum, de quo Cantio. I. dicitur: *Botrus Cypri dilectus meus mihi*, botrum, inquam suavissimum, fulgentem facie, nitentem vestibus, quem gestavere quodammodo et suo testimonio approbavere Moyses et Elias: malgranata, id est, societatem sanctorum, coronatam et copiosam, (nam malgranatum populositalis typus, ob multitudinem granorum) designatam per Moysen et Eliam cum Christo conversantes. Ficus item, id est, suavitatem illam, quæ ex sensuum oblectamentis et cæli amenitate capitur, designatam per vocem Patris auditam, et nubis luciditatem. Quæ omnia licet rudis tantum cælestium bonorum delineatio essent, adeo tamen inebriarunt voluptatibus apostolos, ut Petrus quasi extra se raptus diceret: *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, etc.* Nemo igitur jam dicat: Quis ostendet nobis bona? Quis ascendit in cælum? Quis inde ad nos descendit et dona cæli ostendit? Habemus exploratores illius terræ apostolos. Quid vero illa quæ viderunt, nobis designent, clarius videamus. Sunt autem quinque fontes, e quibus in beatos emanat cælestium bonorum dulcedo.

I. Fons primus est, locus cæli empyrei, quem representat nubes lucida et obumbrans, quæ circumdabat Christum et eos qui cum eo erant: crebro enim in sacris litteris nubes pro cælo accipiuntur. Porro nubes illa, primo circumdedit et texit undique Christum, prophetas et apostolos, ita videlicet ut ab extra videri non possent. Ita locus beatitudinis securissimus est ab omni hostili incursu, quia ambit, claudit, protegit, imo ab omnium oculis abdit sanctos, ut nihil

quod timeant, in omnem æternitatem habeant. Ad hunc modum nubes illa quæ præcedebat Israelitas ad mare rubrum, insequente eos Pharaone retrocessit et media inter Israelitas præcedentes et Ægyptios sequentes, illos complexa est, et suo interventu abscondit ab Ægyptiis, ut hi neque Hebræos cernere neque accedere possent. Jam vero si felix æstimatur illa arx, civitas, vel natio, quæ situ loci adeo munita est, ut nullum omnino hostem metuat; quam felices erunt beati, cum ab omni hostium incursu videbunt se remotissimos atque securissimos? Quam illudent ibi dæmonibus cæterisque hostibus suis, a quibus in terris agitati fuere, cum videbunt eos sub pedibus suis jacere? Tunc implebitur id Psalm. XXII. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.* Et licet dæmones et damnati plurima blasphemiarum jacula in cælum et omnes cælestes ex inferno ejaculaturi sint: ea tamen in ipsorum met capita recident et majorem eis afferent pœnam, cælitibus nihil nocebunt, sed gaudium cumulabunt.

Secundo, fuit nubes lucida, ut ait Matthæus. Tale etiam cælum empyreum, clarissimum videlicet, nullis tenebris, nulli nocti obnoxium; quia Deus ipse, qui nunquam occidit, nunquam eclipsatur, sol illius est. De hoc enim Apoc. XXI. ait Joannes, cui ostensum fuit: *Et civitas non eget sole neque luna ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus*, id est, Christus. Quemadmodum enim nubes a sole illuminatur et lucem mutuatur, uti dubio procul etiam illa nubes in monte Thabor a Christi rutilantissima facie resplendente solis instar, lucem et splendorem suum accepit: ita etiam cælum empyreum ab eadem totum illuminatur semper et lucidissimum efficitur.

Tertio, fuit nubes obumbrans eos, ut ait Marcus, ne videlicet a nimio splendore faciei Christi, micantis instar solis, offenderentur intuentium oculi. Ita etiam locus beatitudinis temperatissimus est, ab omni tempestatum injuria et molestia remotissimus: ibi nullus æstus, nullum frigus, non pluvia, non turbo, non aer pestilens, non tonitrua, non fulmina, non terræ motus, nec umbra quidem mortis, aut ullius maledictionis. Ut enim nos ab æstu nubes: ita ab omni intemperie protegit locus ille cæli cives. Et de hoc dixit Isaias, c. IV. *Et tabernaculum erit in umbraculo diei ab æstu et in securitatem et absconsionem a turbine et pluvia.* Id etiam indicatum in eo, quod transfiguratione sua Christus in monte excelso seorsum fieri voluit: montes enim excelsissimi (ut in olympo com-



pertum scribit Solinus, in cuius vertice ara est, cuius altaribus si qua inferuntur, nec diffiantur ventosis spiritibus nec pluvis diluuntur, litteræ in cinerem scriptæ toto anno permanent) non sunt obnoxii tempestatibus.

Quarto, fuit haud dubie nubes pulcherrima et suavissimis variegata coloribus. Si enim sol in nube densiori sibi opposita pulcherrimam sui repræsentat imaginem, iridem videlicet variis depictam coloribus, de quo Ecclesiasticus, capite XLIII. ait: *Vide arcum et benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo.* Quidni etiam censebimus nubi illi pulcherrimam a facie Christi, solis instar fulgente, impressam fuisse iridem? Talis autem et locus beatitudinis, serenissimus, amœnissimus, pulcherrimus, omnis generis delicias undique repræsentans, quia in eum radios divinitatis suæ mittit Deus, quicæli unicus sol est. Unde Apoc. V. vidit Joannes iridem in circuitu sedis Dei. Quare si pulchritudine alicujus palatii vel horti regii vel augusti templi ita afficimur, ut quasi extra orbem constitutos nos opinemur, quid erit intueri cæleste illud tabernaculum? Sed dicet mihi aliquis: Quis tibi ista dixit? Dixit Sacra Scriptura, et in ea primo David, Psalmo LXXXIII. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Concupiscit et defecit anima mea in atria Domini.* Secundo, Baruch. c. III. *O Israel quam magna est domus Domini, et ingens locus possessionis ejus!* Tertio, ipse Dominus, Matth. XXV. *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Si enim regnum est, si a Deo justis paratum, si a constitutione mundi paratum, si traditur possidendum: annon erit regnum id munitissimum, splendidissimum, pacatissimum, amœnissimum? Denique, oculatus testis Joannis apostolus, Apoc. XXI. ait: *Erat structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo.* Et dixere sancti patres, qui certatim ostendunt locum illum præfiguratum fuisse inter cætera per terram illam promissionis lacte et melle manantem, fertilissimam, amœnissimam, invictissimam, etc.

II. Secundus est societas sanctorum, quam repræsentare voluit nobis Dominus, cum Moysen et Eliam optimos suos amicos coram tribus discipulis, quos secum assumpserat, vocare ad se voluit et cum illis familiariter colloqui: qui ut melius repræsentarent beatorum cœtum, *visi sunt in majestate*, ait Lucas. Adest igitur caput beatorum hominum et angelorum Christus velut imperator omnium; adest virginum et evangelistarum nomine S. Joannes; martyrum et confessorum nomine S. Jacobus; apostolorum et

episcoporum nomine S. Petrus; prophetarum et doctorum nomine S. Elias; legislatorum et omnium conjugatorum nomine S. Moyses; nullus hominum beatorum status desideratur, ac proinde in hoc conventu fuit quidquid in aliqua societate desiderari potest.

Primo, fuit multitudo, quia omnes beati repræsentantur in sex illis personis, uti et omnes creaturæ in sex diebus conditæ (repræsentabant enim mortuos Moyses, viventes apostoli, victuros Elias, qui venturus est). De angelorum multitudine ait Daniel, c. VII. *Millia millium ministrabant ei, decies centena et millia assistebant ei.* De hominum vero S. Joan. Apoc. VII. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.* Qui omnes se invicem noverunt et tam familiariter una conversantur, atque duodecim fratres in eadem domo; ad hæc sunt omnes innocentes, omnes sapientes, omnes nobiles, discreti, omnibus præditi virtutibus, affabiles, formosi, hilares, sani, omnes eadem statura. Omnes lilia sine spinis, grana sine palea, triticum sine zizaniis, quia jamdudum in area fuerunt per-purgata. Denique, beati omnes reges sunt, ideo visi in majestate, Moyses et Elias. Jam si in terris magna delectatio est agere cum viro innocente, sapiente, litterato, experto, qui longinquas vidit terras, affabili, potente, etc. si delectabile est videre personas regias, splendide vestitas, forma insignes, pompa spectabiles, et habere eas familiares ac notas, quid erit habere tot millia sanctorum multo quoad omnia præstantiorum, in perpetua conversatione et aspectu? Bonæ fuerunt omnes creaturæ, et bonas pronuntiavit Deus, cum singulas spectavit: sed ubi omnes simul vidit, erant valde bonæ, Gen. I. Id quod etiam de beatorum multitudie dici potest.

Secundo, adfuit varietas, Moyses dux, legislator, conjugatus, Elias propheta et prædicator, Petrus apostolorum et episcoporum princeps, Jacobus apostolus et martyr, Joannes evangelista et virgo. Ita inter cæli cives præcherrima est varietas, primo, sexuum; alii viri, aliæ feminæ, alii neutri, angeli, in quibus tres hierarchiæ, in qualibet tres chori. Secundo, nationum ex omnibus tribus, linguis, nationibus, populis, ut ait Joannes, qui tamen omnes se mutuo intelligent, secum omnibus linguis loqui poterunt. Tertio, statuum, alii patriarchæ, alii prophetae, apostoli, martyres, episcopi, prælati, doctores, monachi, eremita, virgines, viduæ, conjugati. Quarto, diversitas meritorum, in quovis ordine: sicut enim stella differt a stella in claritate, et alia claritas est solis, alia lunæ, alia stellarum reli-

quarum, multis adhuc differentiis distincta; ita et beatorum coronæ. Jam si varietas stellarum in cælo, varietas florum in prato, varietas arborum in horto, avium in aviario, bestiarum in silvis, varietas nationum in terra, varietas pennarum in pavone, varietas piscium in mari, vel depicta tantum in libris aut tabulis adeo nos recreat, quid erit videre varietatem tantam beatorum civium? Si desiderabile est spectare integrum exercitum, qui tamen pluribus defectibus plenus est, quid erit videre choros castorum Dei?

Tertio, adfuit concordia, suavis conversatio, colloquium et unio animorum: ut ex eo patet, quod cum videret Petrus Moysen et Eliam iterum discedere et Christo valedicere velle, dixerit mox: *Præceptor, bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum*, q. d. bonum est nos hic simul commemorari, idcirco ne patiaris a nobis discedere Moysen et Eliam, ut exponit ibi Bar-radius, et ex Luca intelligi potest. Repræsentat igitur hæc concordia et animorum consensio unionem electorum, qua intime sibi omnes juncti sunt, omnes idem volunt et nolunt, nullus alteri contradicit; tum quia unam et eandem omnes habent et observant regulam, Dei voluntatem, cui contraire non possunt amplius: tum quia omnium idem Deus creator et redemptor, communis habitatio, victus, etc. Unde S. Aug. in Psalm. ult. *Laudate Dominum in sanctis ejus*, ait: Sanctos ipsosmet esse tubam, psalterium, citharam, tympanum et chorum, chordas, organum et cymbala bene sonantia, quibus ibi dicuntur laudare Deum. Ipsi siquidem etsi diversa sunt instrumenta et diversos reddunt sonos et tonorum differentias quemadmodum in musica, omnes tamen aptissime consonant et hac differentiarum consonantia Deum suavissime laudant. De quibus etiam David ait: *Lauda, Jerusalem, Dominum*; Jerusalem enim visio pacis exponitur.

Quarto, adfuit communicatio gaudii et honorum omnium; siquidem Christus communicavit suam gloriam et gaudium reliquis qui aderant. Petrus etiam exultat non de suo tantum, sed etiam de sociorum bono, cum ait: *Bonum est nos hic esse*, וְנֹכַח דִּיכִי: Me, sed: Nos. Imo videtur plus favisse et optasse illis, quam sibi ipsi; siquidem Christo, Moysi et Eliæ voluit ædificare tabernacula, sui ipsius oblitus, nec curans ubi ipse habitaret. Quæ res aperte ostendit dilectionem mutuum beatorum, ex qua fit ut omnium gaudia omnibus sint communia: Deum enim et Christum primo, multo magis diligunt, quam

I.

seipsos, unde de ejus gloria longe plus gaudent, quam de propria. De concivium vero gloria gaudent ut de propria, quia diligunt eos ut seipsos. Nonne si pater videret in cælo filios suos beatos, vel etiam in terris fieri episcopos aut principes maximopere gauderet? Refert Gellius, l. III. noct. Att. et M. Tullius, lib. I. Tuscul. quæst. Diagoram Rhodium, cum tres filios athletas eodem die vincere et victores coronari vidisset, populusque gratulabundus flores undique in eum jaceret, in stadio, spectante populo, in oculis et manibus filiorum animam efflase præ lætitia. At multo major beatorum in cælo unio, quam patris et filiorum in terra: si enim dum in terris degerent, erat eis anima una et cor unum, quanto magis erit in cælo?

III. Tertius fons est, oblectatio sensuum (post resurrectionem videlicet) nec hujus judicium tacetur in transfiguratione, maxime oculorum et aurium tamquam præcipuorum sensuum, qui in cælo recreabuntur. Oculorum gaudium repræsentatur.

Primo, in eo, quod viderunt apostoli Christum gloriosum, facie splendens, vestibus nitentem; sic enim imprimis recreabuntur oculi in cælo Christi gloriam aspiciendo, quæ multo major erit, quam in transfiguratione fuerit, et in beatos redundabit; quomodo gloria pontificis aut episcopi redundat in ejus affines, ita ut in aula ab omnibus honorentur etiam nobilioribus. Sic enim et in aula Pharaonis celebri sermone vulgatum est: *Venerunt fratres Joseph, et gavisus est Pharaon atque omnis familia ejus*: quibus etiam promisit rex et dedit omnia bona Ægypti, ut comederent medullam terræ, Genes. XLV. Atque ex hoc capite maximi fient beati ab ipsis sanctis angelis, et in hoc fundatur maxime amicitia inter angelos et beatos.

Secundo, in eo, quod viderunt gloriam Moysen et Eliæ; sic enim beati videbunt gloriam Matris Dei et omnium corporum beatorum: singula coronis singulis pro ratione diversorum meritorum coronata, et juxta Sancti Augustini sententiam de civitat. capite XXII. in martyribus radiantia illa membra, quæ propter Christum hic suppliciiis afflicta fuere, singulari decore. Quod si tantus fit hominum concursus ad locum comitorum, tantummodo ut imperatorem et principes imperii, eorum apparatus, pompas, satellitia et dignitates videant; quale erit spectaculum, omnem illam beatarum mentium innumerabilem multitudinem unico aspectu cernere? Quid erit videre in cælo tot reges gloriosos et in majestate apparentes, multo amplius, quam hic visi sint Moyses et Elias?



Tertio, in eo, quod etiam in seipsis viderunt Christi gloriam resplendere per communicationem: sic enim et beati propriam contuendo gloriam et fulgorem glorificati corporis, mire recreabuntur: *Quia iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, Matth. XIII. O pavones, o formosuli, qui toties in speculo vos contempla-mini; cur non aspiratis ad illam terram, ubi vos perpetuo contemplari potestis, supra solem radiantes? Denique, in eo, quod viderunt nubem lucidam: sic enim beatorum oculi mirabiliter afficiuntur, et quodammodo extra se rapiuntur, cum videbunt cœli amœnitatem, quam Tob. cap. XIII. et Joan. Apoc. XXI. minime satis explicare, et nemo denique sanctorum hic comprehendere poterat; cum videbunt cœlum novum et terram novam, quam Scripturæ nobis promittunt, Isa. LVI. II. Petr. III. Apoc. XXI.

Secundo, aurium gaudium repræsentatur in voce de cœlo delapsa a magnifica gloria: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*. Cum enim hac voce acceperit Christus a Deo Patre honorem et gloriam, ut ait S. Petrus, II. Pet. I. et præterea hac voce Deus adoptionem filiorum mirabiliter præsignavit, ut ait Ecclesia in oratione illius festi: quomodo potuerunt apostoli hac voce non magnopere recreari? Quid enim suavius illis esse poterat, quam dominum et magistrum suum commendari tam honorifice et tam mirabiliter ab ipso Deo Patre, et per hunc sibi quoque offerri adoptionem filiorum Dei? Licet enim hac voce audita timerint apostoli et ceciderint in faciem, non tamen erat hic timor nisi filialis et reverentialis. Sic etiam viginti quatuor seniores procidebant ante thronum Dei, cum quatuor animalia darent Deo laudem, Apoc. IV. et regina Esther videns gloriam domini regis sui, corruit ante ipsum, Esth. XV. Timebant forte apostoli, quod eousque non sicut decebat, magistrum suum coluissent et suspexissent, quem tunc audiebant a Deo Patre tam honorifice prædicari. Suavissimæ igitur huius vocis auditio, indicat aurium gaudium quod habituri sunt beati, cum audient voces angelorum et omnium beatorum Deum collaudantium, Christi laudes decantantium seu canticum Agni, et ut in Apoc. scribitur, c. XIX. et Tob. XIII. dicentium *Alleluia*, quæ laus tanto suavior et nobilior erit, quanto sunt ipsi cantores doctiores et nobiliores, et qui laudatur sublimior, et audientium cœtus intelligentior ac frequentior. Secundo, repræsentatur aliud aurium gaudium, in eo quod audierunt apostoli Christum, Moysen et Eliam colloquentes et dicentes, excessum Christi complendum in Jerusalem.

Hoc enim significat, beatos sibi mutuo in cœlo narraturos excessus, id est, actiones et passiones suas, vitæ ingressum, progressum et egressum, et quæcumque illis memorabilia contigere; quod haud dubie auditu erit jucundissimum. Si enim magna aviditate audimus eos, qui maria navigando longinquas peragrarunt terras, narrantes sua pericula, nationum mores, etc. quanto jucundius erit audire sanctorum per hoc magnum mare navigationes, naufragia, emersiones, etc. Et si jucundum est legere eorum vitas, quanto jucundius ab ipsis omnia audire?

De cæterorum sensuum gaudiis, in transfiguratione nullum habemus indicium, quemadmodum et alibi Scriptura parum aut nihil nobis de illis aperuit. Habebunt tamen et illi suas voluptates.

IV. Quartus est corporum glorificatio, quam repræsentat candor vestium Christi, quasi nivis, siquidem, Christi vestimentum, ejus carnem designat in sacris litteris, ut Isa. LXIII. *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Fuit hoc Christi vestimentum rubrum in passione, quemadmodum et ejus tunica materialis, quam gestare solebat, sanguinei coloris, ut apparet in ejus imaginibus a S. Luca (testante Niceph. I. XV. c. XIV.) depictis, et in ipsa veste Treviris asservata, ut testatur Costerus, conc. in hac dom. Et sicut materialis Christi vestis hodie candorem induit, ita mystice in ejus passione purpura, candorem et decorem induit in gloria: nec vero Christi tantum glorificationem repræsentavit hic candor, vestium, sed omnium beatorum corporum, quia non suam tantum gloriam ostendere voluit, sed etiam filiorum Dei adoptionem, quam in cœlo sunt habituri. Et propterea gloria corporis Christi affecit et illustravit etiam vestes, ad indicandum quod etiam sancti in cœlo, per et propter ipsum, fulgebunt; qui etiam mysticum illius vestimentum sunt, ut dicitur Isaia XLIX. *Omnibus his veluti ornamento vestieris*: et Psalm. LXVII. *Nive dealbabuntur in Selmon*. Apte vero comparata est ea corporum gloria nivi, quia ut nix fit e vapore humido et nobiliorem induit naturam; ita corpora sanctorum in resurrectione. Ad hæc quatuor corporum glorificationum dotes nive repræsentantur. Quid enim nitidius nive? Et quid fulgidius corpore beato, quod feste Domino, fulgebit ut sol? Matth. XIII. Quemadmodum vivi hominis corpus pulchritudinis suæ decorem ab animæ mutatur vivacitate (sine qua mortuum et deforme est), et ut vitrum laternæ illustratur a lumine incluso: ita et anima per inhabitantem in se divinitatem glorificata corpus quoque reddit gloriosum. Jam si

anima corporibus hominum tantam confert sæpe formam, ut homines eam depereant, quid faciet divinitatis radius inhabitans in beato?

Secundo, quid levius nive? Et quid agilius corpore beato? *Current, et non laborabunt*, ait Isai. c. XL. *ambulabunt et non deficiet*: et Sap. III. *Tamquam scintilla in arundineto discurrunt; quemadmodum et nix dum cadit, circumvolat in aere*. Quid autem delectabilius, quam omnes montes, silvas, prata, urbes, regiones, in momento, sine omni defatigatione posse percurrere? Nonne aliquoties dicimus: *O si avis essem, quam omnia vellem peragrarè, lustrare, adire, etc.* Tales autem sunt beati, qui ubicumque volunt, statim esse possunt. Unde August. I. XXII. de civit. c. XXX. ait: *Ubicumque volet spiritus, ibi protinus erit corpus*.

Tertio, quid subtilius nive? Et quid subtilius corpore beato? Potest enim clausis intrare januis, ut in Christo patet, et apostolo teste: *Surget corpus spirituale*, I. Cor. XV. Poterit ergo penetrare cœlos, et quodcumque aliud corpus: non egebit cibo, potu, somno et aliis corporis servitutibus. Quanta hæc libertas?

Quarto, nix etsi in valle cito liquescit, in aliis tamen montibus durabilis est, et in Ætna monte prorsus invincibilis etiam ab Ætnæ incendio, ut tradunt Strabo et Solinus, apud Maiol. tom. I. canic. colloq. XXII. Et quid impatibilis corpore beato, quod sine omni doloris sensu sensibus uretur, quod vulnerari, cruciari aut uri, ne inferni quidem ignibus potest, nedum morbis affici? In hac terræ valle liquescit quidem cito nix corporis nostri, sed non ita in altissimo cœli monte, qui supra solem est. Quorum omnium ratio est, quia sicut Ismaeli Deus benedixit propter Isaac, quia frater illius erat, licet ex ancilla, eumque in gentem magnam fecit, ut Genes. XXI. promittitur; ita et corpus Deus glorificat propter animam, cujus frater et in bonis operibus cooperatores erant, licet minus digno et servili modo. Quatuor has glorificati corporis dotes indicavit apostolus I. Corinth. XV. cum dixit: *Surget in gloria, surget in virtute, surget spirituale, surget incorruptibile*.

V. Quintus est beatifica Dei visio, quam repræsentat vultus Christi resplendens instar solis. Facies enim Christi divinitatem ejus indicat, quæ sola satiat omnium beatorum appetitum. Et hic Dei vultus figurabatur in illo Salomonis, quem desiderabat universa terra, III. Reg. XX. In ejus enim contemplatione consistit vera et essentialis beatitudo omnium electorum, quia per intellectum lumine gloriæ elevatum et confortatum apprehenditur summum bonum, cujus

apprehensio omnia affert bona, et acquiescat desideria. Quod si regina Saba, videns sapientiam et decorem Salomonis, præ stupore et admiratione viribus defecta est, *nec habebat ultra spiritum*, quid erit contemplari Deum? Et si illa beatos prædicavit servos, *qui stant coram Salomone semper et audiunt sapientiam ejus*, quanto beatiore servi Dei, qui stant coram eo semper et vident ejus arcana, perfectiones, attributa, etc?

Certe S. Petrus Christi vultum tantum solis instar radiantem contemplatus, quasi extra se raptus, et omnium mundi rerum oblitus exclamavit: *Bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula, nesciens, quid diceret*. Quid? Numquid musto plenus fuit? Solo Christi vultu adeo inebriatus fuit juxta id Psalm. XX. *Latifecabis eum in gaudio cum vultu tuo*. Et tamen vultus illius decor ad corporis tantum gloriam pertinebat, divinitatem ejus reipsa non repræsentabat. Quid si Petrus ipsam deitatem vidisset oculo intellectus? Quid dicturum fuisse putamus? Petrus ab ea contemplatione abstrahi nolebat, sed ibi tabernacula figere et perpetuo manere: adeo rapuit eum vultus Christi; et quid erit videre Deum, a cujus contemplatione ne uno quidem momento in omnem æternitatem abstrahi beati possunt? Qualis esset illa imago a cujus intuitu videntes abstrahi nec minis, nec verberibus, nec vi, nec ustione possent? Talis autem est facies divinitatis, quam dum beati vident, nihil prorsus sentirent, etiamsi in infernum projicerentur, nec inde divelli possent. Idcirco enim Apoc. VII. beati dicuntur esse *ante thronum Dei et servire ei die ac nocte, non esurire, nec silire, etc.* Ratio est, quia cum in divinitate lateant infinitæ perfectiones et infinita simulacra rerum omnium, tam quæ factæ fuere, quam quæ fieri in infinitum possunt, intellectus in æternum habebit, quod in ipsa contempletur adeoque summum et infinitum bonum: cætera autem omnia finita sunt, et perinde ac si scintilla ignis in oceanum injiciatur. Atque hi sunt fontes illi, quos sitiit David, dicens, Psalm. XLI. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus, etc.* Et de his bibunt sancti semper juxta id Isai. XII. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*.

Quoniam igitur cœlestium bonorum nobis promissorum delineationem vidimus, quid superest, nisi ut alacriter in virtute progrediamur et pro illis laboremus? Utinam nobis conveniat illa benedictio Issachar, Gen. XLIX. *Issachar asinus fortis, vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod esset optima: supposuit humerum ad portandum*.